



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 17. De diebus festis Christi Domini, Matris eximio cultu celebrandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

152 DE BONO SODAL. PARTH.
stia, noua sit eiusdem infiniti beneficii,
cuius opprimimur magnitudine, repeti-
tio & accessio. *Parasti in dulcedine tua
pauperi Deus.*

*Psal. 67.
11.*

C A P V T XVII.

*De prima cuiusque mensis Dominica,
festis diebus Christi Domini &
Sanctissima Matris, eximio cultu
pietatis obeundis.*

Luc 8.

Ivbent Sodalitatis leges, vt prima qua-
que Dominica mensis, festis item die-
bus Domini nostri, & Sanctissimæ Ma-
tris solennibus, natali Christi die, Circū-
cisionis, Resurrectionis, Ascensionis,
Pentecostes, & Corporis Domini, die
immaculatæ Conceptioni B. Virginis sa-
cro, item eiusdem Natali, & Annuntia-
tionis festo, die Purificationis, & Assum-
ptionis, die Natali aut S. Ioānis Baptistæ,
aut SS. Apostolorum Petri & Pauli, de-
nique Sanctorum omnium solenni, So-
dales Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacra-
menta percipiant. quæ sanè concelebrā-
di

di festos dies optima ratio est, in diuinorum vsurpatione Sacramentorum, cum ad Dei gloriam Deiparæque laudem, tū ad spiritalem nostram vtilitatem accommodatissima. Quod ad primam cuiusque mensis attinet Dominicam, adaptari illi possit, quod est apud psalmographum, *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestrae.* Quemadmodum consueverant Hebræi neomenias aucto sacrificiorum numero celebrare, diuinorumque memoriam vsurpare beneficiorum, eius præsertim continui perennisque beneficij, quod à prouidentia & gubernatione diuina promanat, totius anni decursu, quem Hebræi lunæ decursu præcipuè metiebantur: ad eum modum Sodales, quo profusorem in se diuinæ clementiæ ac beneficentiæ fructum experiuntur, per Virginem Matrem, quæ fuit eius beneficentiæ conciliatrix; eo magis illam cum omni sensu pietatis, & exultantis animi gaudio celebrare conuenit, suamque deprædicare Patronam, Euangelicæ gratiæ lunam, quæ laudatur in Canticis, *pulchra vt luna*, cuius inter-

Psal. 80. 4.

G 5

uentu

uentu diuina nos regit, atque omni bonorum auget genere prouidentia. Pro certo habent Astrologi solis vim, & aliorum planetarum influxus, à luna prius excipi, excepto s̄que in terram dimitti, ut nihil è cælo in terram boni decidat influxus, quod non luna temperet ac moderetur. luna sol alter non incongruè dicitur, inquit, quòd quæ sol superius vi masculina generat, hæc quasi vi feminina contemperata fœrum suscipiens, terris mandat atque communicat. Quare tametsi solis aliorumque astrorum rationem habeant, tamen motum cursumque lunæ ad crises potissimum obseruant: inde temporum mutationes, medicamentorum tradendorum, plantandi, serendi, ligna secandi, atque id genus plurium rerum oportunitates captant atque definiunt. Quò spectet hæc oratio, perspicuum est, à Deipara, virtutum omnium ac gratiarum lucem, diuinæque gratiæ influxum à Christo filio Salvatore, velut sole, mutuatum benignè terris refundi ac communicari; animis in quibus nostris terrestribus, quibus commiseratione,

Georg. Venetus harmon. mundi cent. 1. l. 4. c. 38.

LIBER I. CAPVT XVII. ISS

tionem, veluti luna situ propinquior est, contemperatam gratiæ lucem infundit, quin & aliorum Sãctorum, quibus velut astris cælum ornatur, imploratas à nobis deprecationes per eam optato potissimum effectu non carere; omnia planè quæ cælitus nobis indulgentur bona, à Christo capite per SS. Virginem veluti spiritale collum mystici corporis indulgeri, quia sic est voluntas eius qui nos totum

habere voluit per Mariam. Ea maximè consultata, secunda ac propitia, quoduis opus pietatis aggrediendum, eius auspicijs inchoanda ac prosequenda quæ fuerint ad Dei gloriam, animarumque bonum semel capta consilia. Cùm omnem gratiæ & auxiliij spiritualis influxum media Virgine, seu luna ad nos deferri nouerimus; imperitissimi simus, si quidpiam aggrediamur, nisi priùs illà placatâ, ac supplici prece vel alio virtutis obsequio conciliatâ. Ac commodè sub cuiusque mensis exordium, quidquid eius decursu vel agendum, vel omittendum decerneretur, virtutis omnia ac perfectionis innouata proposita, Christo Domino per

*Bernard.
serm. de
Natiuit.*

Virginem Matrem offerentur; sub sacrâ præcipuè Synaxim, cùm ardere solet animus diuina charitate succensus. quò fortè spectauit S. August. cùm ait hanc nouæ lunæ celebrationem, nouam creaturam quæ per Christum futura est prænuntiasse.

19. contra
Faustum
cap. 10.

Gen. 1. 14.
15.

Quod verò pertinet ad festos dies Christi Domini, & Sanctissimæ Matris, ne à proposita similitudine longiùs abeamus. *Creauit Deus duo luminaria magna, vt essent in signa, & tempora, dies, & annos, vt lucerent super terram, & præessent diei & nocti.* Non est obscurum, & iam est à me dictum, quæ duo sint hæc Ecclesiæ suprema luminaria, Christus Dominus, & Sanctissima eius Virgo Mater, Sol & Luna; & ille quidem præcipuè iustos illuminans atque illustrans inter diu, hæc etiam noctu peccatores in tenebris, ad emendationis vitæ lucem prouocâs. Horum vtriusque festorum certa per intervalla distinctus Ecclesiasticus annus euoluitur. quòd in Zodiaco sunt Astrologorum conficta signa, per quæ sol annuo decursu varias efficit anni tempestates,
hoc

hoc in Ecclesiastico sunt anno , variæ Christi Domini & Sanctissimæ eius parentis festiuitates. Vt suos repetunt cursus sol & luna , renouatiq̄ue menses & anni redeunt, atque à capite retexuntur, vt iterum fluant ; ita quotannis vniuersa nostræ redemptionis œconomia, viraq̄ue ac res gestæ Christi Domini, Sanctissimæq̄ue eius matris , per eos festos dies, aptissimo quodam ordine digestæ reuocantur in memoriam, ac nouo semper celebrandæ sensu pietatis offeruntur.

Inter feriatos dies, quibus, auctoritate ac præcepto matris Ecclesiæ, cessandum sit ab omni strepitu iudiciorum, Deiparæ festiuitates annumerari, habemus expressum Extrauag. de ferijs Gregor. IX. cap. vlt. his verbis; Et dies festiuitatum omnium Virginis gloriosæ. In quod caput , Canonum interpretes, ac speciatim Panormitanus aduertit; festiuitates Virginis , quæ sint in præcepto, præcipuè quatuor esse, in quatuor anni tempora distributas ; Annuntiationem incunte vere , Assumptionem adulta

iam æstate , Natiuitatem in autumnno,
 Purificationem hieme prouecta cele-
 brandam. Quæ sunt, inquit Hostiensis,
 ad modum lapidum pretiosorum, qui-
 bus anni corona contexitur & ornatur;
 de quo verissimè dixeris anno: *Benedices
 corone anni benignitatis tue.* Sunt autem
 his diebus festiuis alij adiungendi, quos
 vniuersa iam Ecclesia propè pari cele-
 brat apparatu; Conceptionis immacu-
 latae, Sanctorumque omnium, qui lege
 Sodalitatis recensitus est, & à S. Antoni-
 no inter festiuitates D. Matris colloca-
 tur, quòd à Bonifacio IV. primitus in ho-
 norem B. Mariæ ad Martyres , dies ille
 festus est institutus, dum illi Pantheon
 dedicauit. Et quis ambigat Deiparam
 SS. omnium Dominam ac Reginam præ-
 cipuo semper inter eos cultu & honore
 prosequendam? Deinde tres aliæ mino-
 res festiuitates annectuntur, Præsenta-
 tionis, Visitationis, & S. Mariæ ad Niues;
 etsi multis iam locis vtraque prior, alte-
 ra certè Visitationis maior, & obligatio-
 ne præcepti comprehensa , censeatur.
 Christi quoque Domini festiuitatibus
 enu-

Psal. 64.
 12.

LIBER I. CAPVT XVII. 159
enumeratis, adijciuntur Epiphaniæ, SS.
Trinitatis, Transfigurationis; quod
postremum à Calixto III. refert institu-
tum Platina. Id vnū si eximas & SS. Tri-
nitatis (quamquam & ad Virginem id
referripotest, quæ triclinium fuit & est
augustissimum SS. Trinitatis; ab eadem
triplici gloriæ diademate coronata, om-
nipotentia, sapientia, bonitatis, quæ ab
Hesychio vetusto Patre complemētum
totius Trinitatis dicitur, per quam, in
qua, & ex qua diuini Verbi incarnatio
perfecta est à Trinitate) ceteræ certè ce-
lebritates omnes Saluatoris, Virginis
quoque Matris, speciali ratione censen-
dæ sunt festiuitates, ad eamque pro-
pria quadam & singulari ratione per-
tinent. Etenim Christi natalitius dies
Deiparæ est auspiciatissimus virgineus
partus, quo numquam magis honorata
est virginitas, quàm quo, vt ait Ambro-
sius, posteritatem acquisiuit; Circumci-
sionis, si, vt multorum fert sententia, D.
Mater eam peregit, spectauit illam cer-
rè, ac profusissimis lacrymis plagam il-
lam filij, primoresque guttas cruoris di-
uini

*In serm. de
laudibus
Mariæ.*

uini diluit atque deterfit; tum & Iesu nomē augustissimum prima mortalium omniū, vt erat à Deo facere iussa, imposuit. Epiphaniæ, dum Regibus Magis Deum infantem in gremio suo, vti throno clementiæ suæ dignissimo, præbuit adorandum, oblata ab eis munera fidei suæ symbola, benignè suscepit. Resurrectionis, cū rediuiuus à morte filius ante omnes afflictissimæ matri videndū se præbuit: nam erat æquissimum, vt ad quam summus mœror à filij passione ac morte venerat, ad eandem resurrectionis summus honor lætitiæque præcipua perueniret. Pentecostes, cū inter aggregatos discipulos, ipsa quidem loco postrema, at dignitate prima consedit, & copiosissimè, supra omnes, prout erat optimè comparata, Spiritus sancti donis impleta est. De festo Corporis Christi, ex superiori capite confici potest. Consimili ratione dies festi sacratissimæ Virginis, vicissim ad Christum filium iure quàm optimo referuntur, cuius honoris causa, præcipuè sunt instituti; ex quo fonte dimanarunt Virginis Matris om-

omnes prærogatiuæ ac præcellentia; quòd esset filij Dei delecta ac designata Mater, habita est in ijs honoris filij ratio. inde Virgini cùm immaculata Conceptio, tum toti mundo lætissima Natiuitas obtigit: ob eam causam in templum à parentibus trimula est deducta, vt ad diuinum æterni Verbi conceptum enutrita sanctissimè compararetur. Annuntiatio ipsa est diuini Verbi conceptio, & incarnatio; Visitatio, cùm propinquam suam S. Elizabeth inuisit, tum & Deus infans eius vtero clausus, Baptistam materno in vtero præcursorem inuisit, & infusa gratia prophetiaq; sanctificauit; Purificatio Virginis Matris, adiunctam habet filij Saluatoris oblationem in templo, & quæ ab ea facta est quinque siclis ex præscripto legis Mosaicæ redemptionem. Denique gloriosa Assumptio & reliqui dies festi Virginis Matris, filij Saluatoris aduersus illam in conferenda illi corporis & animæ suprema gloria, munificentiam deprædicant. Quamobrem non sunt mihi cohortandi Sodales ad hosce dies festos præcipuo quodam cultu

cultu pietatis celebrandos, cum aduersus hunc utrumque suæ salutis parentem obseruantissimi sint, iamque non semel experti, quantus ex ea festorum obseruatione meritorum ac gaudiorum spiritualium cumulus redeat; gratiæ potius agendæ Sodalitati, quod eorum non modo maximam dierum solemniter agendorum oportunitatem præbeat, verum & iustissimam gratissimamque suis legibus imponat necessitatem. Auctor nobis est piissimus vitæ spiritualis Magister, Thomas à Kempis, ut sub hæc Saluatoris ac D. Matris præcipuas festiuitates, quasi ex hac ærumnosa, ad alteram beatam immortalemque vitam emigraturi essemus, ita nos animo comparemus, pro eo quo nos oportet patriæ cælestis, visendorumque istic optimorum parentum, Deiparæ ac Saluatoris, succendi desiderio, tum & calamitosæ huius vitæ, tot obnoxia peccatis ac perturbationibus, afficitædio. Toleranda vita præsens, appetenda futura: res temporales in vñ esse debent, æternæ in desiderio; illæ obiter pertranseundæ inspiciendæque, istæ

con-

*Lib. 1. de
Imitat.
Christi c.
19.*

continenter votis ardentibus suspiranda. Quoties eæ præterea recurrunt festiuitates, quemadmodum qui ad templorum ianuas mendici stipem corrogant, tum se largiores sperant accepturos eleëmofynas, quo futura est maior fidelium pietas, pietati responsura liberalitas: ad eum modum nos spiritualium egentissimi bonorum, mendici cælestes, profusorem in nos B. Matris ac Saluatoris munificentiam tum futuram considerare debemus, si nostras eis arumnas penuriasque luculentiùs aperuerimus; eorumque beneficentiam precibus ardentioribus implorauerimus. Et sanè, quod viri generosi coniugum suarum amantes facere solent, vt illis rerum domesticarum curam omnem & administrationem permittant, pecuniæ claues & tutelam eis committant, ac per eas sumptum omnem ac impensam fieri patiantur, earumque liberalitati largitione relinquunt eleëmofynarum; ita Deus opt. max. clementissimæ Matri, ac sponsæ suæ gratiarum suarum omnes thesauros concredidit, quidquid impensarum
fa-

164 DE BONO SODAL. PARTH.
faciendum est, quidquid liberaliter munificeque largiendum, id eius potestati permittit; ac per eius manus recensitum ad nos peruenire voluit, ut illi potissimum vni referamus acceptum, eiusque omni studio largitatem prouocare ac beneuolentiam conciliare nitamur.

C A P V T X V I I I .

De Sabbato Virginis honori consecrato, deq̄ eius diei ieiunio.

VT verusta pridem Ecclesiæ consuetudine, ab ipsis Apostolorum temporibus, dies Dominica Resurrectioni Saluatoris, feria quarta & sexta Passioni eius & morti recondendæ eî dicata; ita, ex eodem Ecclesiæ more atque instituto, dies Sabbati Deiparæ Virginis honori consecrata habetur. Et æquum sanè fuit, ut, cum Apostolis, Martyribus, Pontificibus, Virginibus sui sint statim dies, quibus illis obseruantia religiosa, & de adepta sempiternæ gloriæ felicitate gratulatio defertur; huic Sanctorum omnium

nium